



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Horologivm Sacerdotale Sacerdotibus tam Ecclesiasticis,
quàm Religiosis, præsertim Neomystis Ordinem diei, &
praxes indicans Opera quotidiana exactè, sanctéque
obeundi**

Dirckinck, Johann

Coloniæ, 1690

Hora XI. Prandium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50863](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50863)

H O R A X I.

Prandium.

Agenda ante Prandium.

*Vi cum gustu spirituali & meritorum
incremento corpus reficias : mensam spiri-
tualem hinc tibi sterno : cui ternos missus
infero triplici perfectionis via responden-
tes. singulos quinque ferculis mysticis instru-
ctos. Ex his indies ante prandium & cœ-
nam nonnihil deliba, prægusta, & ruminas;
& cibos corporis etiam insipidos instar
aromaticum & condimentorum dulcorabis.*

M I S S U S I.

Promulges & prægustus mystici.

I.

*Considera te ob peccata tua innumera
indignum esse vel ipso pane Filiorum, qui
toties te abiecit ad siliquas porcorum : si
enim famuli Herum gravius offendentes
pane & aquâ mulctantur; quid tu Herum
non mortalem sed immortalem toties of-
fendens te meruisse censes ? Agnosce, nun-
quam querere, vilioribus acquiesce.*

II. Ex-

II.

Expende famem & sitim Animarum igni purganti addictarum, quam inter ceteras causas, etiam ob violatas temperantia leges perpetiuntur. Item sitim & famem intolerabilem damnatorum, praesertim divitis Epulonis, qui ad lingua astum mitigandum, tota aeternitate nec aqua guttalam obtinebit. Cave a crapula & ebrietate ac epulis nimis splendidis, ne similia promereare.

III.

Cogita quem cibum, potumq; damnati in inferno commestationibus & ebrietatibus suis meriti sint: non alium sane, nisi picem & sulphur, venenum aspidum & fel draconum, calicem ira & furoris Dei. Quoties hac & tu promeruisti; o si probe agnosceres! quam firmiter victum licet tenuissimum, meritum tuum excedere, crederes?

IV.

Dispice, quam miser sit anima status, qua cibo spirituali Sacramentorum, precum, virtutum, & gratia Dei privatur: ac fame quodammodo enecatur; quemadmodum

modum equi strigosi, aut hominis emaciati corpus fame contabescit. Pasce tu crebro animam cibo spirituali, necum Davide queraris: aruit cor meum quia oblitus sum comedere panem meum. Et pudeat te majorem hactenus gessisse curam corporis, quam anima millies corpore nobilioris.

V.

Quam frugaliter ac temperanter comedis & bibisse te optabis sub horam mortis & iudicii particularis; quando de omni sensualitate, superfluitate & prodigalitate rationem strictissimam Deo redditurus es? Quid respondebis diabolo tot milenos bolos, tot milenos scyphos superfluos, imò sanitati noxios te absumpsisse arguenti? ex quibus tot eleemosynas, si parcius vixisses, erogare potuisses? Time, ac deinceps necessitatem, non sensualitatem specta.

MISSUS II.

Continens V. fercula mystica.

I. Exemplum Christi.

Propone tibi modestiam, temperantiam, gravitatem, mores, gestus, verba, colloquia, documenta Christi Domini comedentis

dentis, qui bibere & comedere dignatus est
 ut nobis exemplum praberet: & quia va-
 rietas in spiritualibus aequè ac corporali-
 bus cibis delectat; jam intueri eum cum
 B. Virgine & S. Ioseph cibum sumentem;
 jam in deserto Angelis ministrantibus;
 jam in convivio Cana; jam apud Mat-
 theum, Zachæum, Simonem, Martham
 prandentem, aut cum Apostolis ultimum
 cœnantem; & sanctos imitare mores, re-
 fectionem cum illius meritorie conjunge.

II. Exemplum Sanctorum.

Aspice exempla Sanctorum, non tantum
 Eremitarum, Pauli, Antonii, &c. sed &
 aliorum in omni statu & gradu; quàm
 modicè vixerunt? quàm rigide jejuna-
 runt? quot ad inventiones gulam mortifi-
 candi excogitarunt? Omnes propè vita
 Sanctorum hæc testantur: & tamen vitam
 longævam, sanamq; duxerunt. Vixit S.
 Antonius annos 105. S. Paulus primus E-
 remita 115. S. Jacobus Eremita 104. S.
 Arsenius 120. S. Simeon Stylites 109. S.
 Romualdus 120. S. Udalricus Episcopus
 105. S. Epiphanius 115. innumeros alios
 utriusque sexus, tenui victu & multis je-
 juniis

junis vitam ad 70. 80. 90. annos protrahentes. Partim mirare, partim imitare. Qui abstinens est adjiciet vitam. Eccli. 37.

III. Elcarum vilitas.

Expende quàm vile abjectumq³ sit, edere & bibere, quod hominibus cum brutis & vermibus commune est: & quid comedimus: herbas & fructus ex terra, ejusq³ pinguedine provenientes: deinde ferarū, volucrum & piscium cadavera, quæ in corporibus nostris velut tumulis sepeliuntur, atq³ in sordes & simū convertuntur. Confundere, humiliare, & operare cibū non qui perit, sed qui permanet in vitam eternā Joan. 6

IV. Pauperum necessitas.

Vide indigentiam innumerabilium mortalium, qui te longè innocentiores, Deoque gratiores sunt, & qui escas, quas tu nanctas, delicias reputarent; aut micæ de mensa tua cadentes, ac bolos canibus projectos cum gratiarum actione reciperent. Agnosce sensualitatem tuam & corrige.

V. Memoria fellis & aceti.

Intinge buccellam tuam in aceto Ruth. c. 2. Id est, ante sumpcionem cibi & potūs, vel sub ea recordare fellis & aceti,

ac myrrha Domini tui, quibus in monte Calvaria ad abolendos sensualitatis tuos defectus refocillatus est. Tinctura hec adhibita, cibos etiam inspidos dulcorabit super mel & favum.

M I S S I S III.

Bellaria Mystica.

I. Providentiæ Divinæ Consideratio.

Quam paternè Divina Providentia tibi ab ineunte etate providit, atq; etiamnum providet, non tantum de necessariis, verum etiam de deliciis, veluti sollicitum atq; tui amantissimus Pater. Gratias age, redama, donisq; ejus non abutere.

II. Divina Liberalitas.

Quanta liberalitas Deo O. M. qui tot centena millia herbarum, plantarum, arborum, fructuum cum tanta varietate producit: item tot centena millia animantium, volucrum, piscium, quos omnes cibo conveniente alit, ut tibi, aliisq; hominibus in sustentationem cedant; quorum tot miliones magnus ille Paterfamilias indies pascit. Oculi omnium in te sperant, Domine, & tu das illis escam in tempore opportuno. Psal. 144. Gratias age, & tantam Conditoris liberalitatem lauda.

III. Beneficentia Dei.

Quanta elucet Dei beneficentia in homi-
ne sustentando! quot enim beneficia in quo-
vis panis bolo, vel cerevisia, vini ve haustu
latent? quoties Divina Bonitas super eum
solem suum oriri fecit? quoties frumen-
tum & vinum, ut crescerent, pluviâ riga-
vit? quàm benignè ac providè homines sub-
ordinavit, qui frumentum sererent, me-
terent, triturarent, molerent, pinserent &c.
vitem plantarent, pastinarent, foderent,
uvas colligerent, vinum exprimerent, re-
conderent, adveherent, omnibus vitam &
vires communicando? Gratias age, & red-
ama: nec pro tot benefactis, malefacta re-
pende.

IV. Potentia Dei.

Quanta resplendet Dei potentia in pro-
ductione frumentorum, & arborum; in qua
cum prodigia & miracula quotidiana
sint, admirationem non habent: dum fru-
menti grana terra commissa, mortua &
putrefacta, quodammodo resuscitat &
multiplicat; iisdemq; tot hominum millio-
nes sine labore pascit: quæ sanè, teste S. Au-
gustino, miracula majora sunt, quam quòd
V
quinque

quinque panibus, quinque hominum mil-
lia olim paverit. Admirare & gratias
age.

V. Cibus Cœlitum.

Quanta denique est excellentia & no-
bilitas cibi Electorum in cœlesti patria?
Cibus hic verè angelicus, cœlestis & di-
vinus, omnem dulcedinem & saporem sua-
vitatis in se continet; omne manna lon-
gissimè superat; nunquam radium parit;
sed quò plus comeditur, plus appetitur &
esuritur. O verè beatus qui manda-
cabit panem in regno Dei, ubi Filius Ho-
minis transiens ministrabit! Ad hunc ci-
bum aspira, illi inhia, & à terrenis silis-
quis affectum abstrahere.

Observanda tempore Mensæ.

Mensam aditurus velut mendicus an-
te januam magni Patrisfamilias staret
missis oculis, plicatis manibus, mente in
cœlum elevatâ, debitâ cum reverentia at-
tentione, & pietate, absq; indecora festi-
natione, consuetam è Breviario Romano
benedictionem pramitte & leges duodecim
sequentes legibus duodecim Tabularum as-
pud Romanos longè præstantiores observa.

Lex I. posita à Christo Domino

Lucæ 14.

Cum invitatus fueris ad mensam, recumbe in novissimo loco. *Quare semper inferiorem locum, vel reipsa, vel si hoc non liceat, saltem affectu & desiderio: Omnis enim qui se humiliat, exaltabitur; si non in tempore, saltem in aternitate.*

Lex II. data à S. Paulo 1. Cor. 10.

Sive manducatis, sive bibitis, omnia in gloriam Dei facite. *Ad cibum sumendum non velut jumenta ad fœnum & aves nam ex sensualitate aut appetitu naturali accede, sed corporis refectiorem ad unius Conditoris gloriam refer; ut scilicet Deum honores, ejus beneplacitum quæras, ei obedientiam præstes; vires corporis ad ejus obsequium & propriæ alienæq; salutis studium instaures & conserves Hinc postquam consedisti, priusquam mappulam explices, cum Jovo, antequam comedas suspira; breviterq; intentionem renova, dicendo: Mi Jesu, quot micas comedo, quot guttas bibo, toties ex animo te laudo & benedico: vel: Quidquid sanguinis ex hac refectiione acquirò, id omne amore tui profundere desidero.*

V e

Lex

Lex III. Lata à S. Petro. i. Ep. c. 5.

FRatres sobrii estote & vigilate. Estote
te sobrii ut Christianos, & vel maxime
Sacerdotes decet; quos non modo supra
bruta, verum etiam supra alios homines
elevavit Deus: quò quis enim plus se de-
dit cibo & potui, eò brutis, quò minus &
parcius, eò Angelis cibo non egentibus eva-
dit similior. Itaq; Vigilate atque ad vos ip-
sos attendite, toto mense tempore, atque in
omnibus ferculis & scyphis, ne temperan-
tia leges transgrediamini, & vel gestibus
& verbis, vel crapulâ & ebrietate Deum
offendatis: Quia Diabolus [gastrimari-
gia] circuit [praesertim tempore mensae]
tanquam leo rugiens (pro fame) quarens
(in primis Sacerdotem tanquam holus
delicatiorem) quem devoret: cui resistite
fortes in fide, charitate & temperantia.

Lex IV. Condita ab Ecclesiastico. c. 4.

Flli conserva tempus. Id est i. Statuto
& convenienti tempore cibum sume; &
extra tempus sine peculiari causa ne com-
ede aut bibe. Pueri & pecora edunt ac bi-
bunt, quoties lubet; tu verò Sacerdos per-
fectio-

fectionis studiosus, tempus constanter ob-
 serva, quod semel tibi praefixeris. 2. Con-
 serva tempus, non nimium temporis, non
 multas horas comestioni superflua impen-
 dent tempus enim sic inutiliter teritur, opera
 pia negliguntur, sanitas laeditur, morbi
 accersuntur, mors acceleratur: praesertim
 in cœna: ut sis nocte levis, sit tibi cœna bre-
 vis; nimia saturitas divitis non sinit eum
 dormire quietè. 3. Observa etiam locum:
 si quis esurit, domi manducet, loco consue-
 to, non in templo, non foris. Semper ad com-
 mune refectorium vadas, suadet Thomas
 de Kempis lib. 1. de discipl. claustr. c. 6.
 4. Fuge, quantum potes convivium secula-
 rium, praesertim presente altero sexus, eaq;
 non nisi perrarò, justaq; de causa adi: ita vi-
 ri sancti & prudentissimi suadent. S. Hie-
 ron. Ep. 2. ad Nepot. Consolatores potius nos
 in mœroribus suis, quam convivas in pro-
 speris noverint.

Lex V. Præscripta à Christo Do-
 mino Lucæ 21.

Attendite vobis, ne fortè graventur cor-
 da vestra crapulâ & ebrietate. Ne ni-
 miâ cibi & potûs quantitate & varietate

corpus graves, sanitati noceas, mentis alacritatem hebetes, teque ad exequendum munus tuum inhabilem reddas: nam ex hac cibi, potusque intemperantia ac redundantia, oritur stupor, languor, tedium, somnolentia, scurrilitas, loquacitas, dissolutio, immunditia, contentio, omnium virtutum destructio, humorum noxiorum coluvies, omnium morborum series, ipsa denique mors acceleratur. Plures occidit gula, quam gladius. Ne igitur ad plenam satietatem comedas sed cum quodam adhuc appetitu surgas, & cum S. Augustino, ad alimenta, tanquam ad medicamenta accedas, de quibus non plus, quam necessitas, à prudente sumitur.

Lex VI. à Deo lata Gen. 4. v. 7.

Sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius. Non sequere appetitum tuum, ut illi, quorum Deus venter est, sed vince & mortifica appetitum edendi & bibendi, ut non dominetur tibi, sed tu illi prolibitu frenum injice. Cave quoque ne nimis delicata secteris, nec communibus acquiescas; sed potius amore Christi communia & viliora elige. Cave etiam (ut docet

docet S. Gregor.) ne voluptatis illecebra,
 qua in via edendi furtive adjuncta sepe
 subsequitur, & nonnunquam preire cona-
 tur, te a praefixo scopo divina gloria abdu-
 cat, aut ultra necessitatis metas abripiat:
 si enim S. Augustinus & alii viri sancti
 quotidie contra hanc concupiscentiam
 certarunt, quanto magis tibi adeo fragili
 & sensuali certandum erit?

Lex VII. Data est ab Ecclesiastico

o. 37. § 32.

NOli avidus esse in omni epulatione, &
 non te effundas super omnem escam.
 Inordinatum in quovis etiam vili edulio
 estum & aviditatem nimiam cohibe: nec
 ita animum effunde patinisq; immerge, ut
 vel lecta super mensam non auscultes, vel
 mentem subinde ad Deum non eleves.
 Nec plura aut sumptuosiora fercula curas
 aut appete, quam status tuus requirat; ne
 elemosynas pauperibus debitas ventri tuo
 & carni inutiliter impendas, tibi que ipsi
 noceas: nam in multis escis non deerit in-
 firmitas: Propter crapulam multi per-
 ierunt.

V 4

Lex

Lex VIII. ab Apostolo promulgata.

Ephes. 5. 18.

Nolite inebriari vino, in quo est luxuria. Cum angelica castitas Sacerdotem unice deceat; & luxuria eum vel maxime deturpet: omnem in primis occasionem vitare necesse est: ex ebrietate enim accenditur libido, ut oleo affuso flamma. Unde fuge ebrietatem ut pestem, nec alium ad ebrietatem induc: licet enim honestas exigat, subinde hospitium aut conviviam suaviter invitare ut comedat, bibatve ad ostendendam benevolentiam: illi tamen libertas omnis relinquenda est, nec unquam ad haustus aequales, sanitatesque epotandas provocandus, multo minus cogendus. Pessimus hic abusus sanitati nocet, temperantiam violat, Deo displicet: & sane si de omni verbo otioso rationem exiget Deus, quanto magis de vitio otioso, superfluo, imò noxio? quid plaris est, verbum an vitium?

Lex IX. à Salomone edicta

Proverb. 23. ̄. 2.

Statue cultrum in guttere tuo. I. Cultrum mortificationis, ut nec in quantitate

rate, nec in qualitate, nec in tempore, nec in modo recte rationis prescriptum excedas. 2. In qualibet refectioe ternos mortificationis actus SS. Trinitati offer, aut Christo Domino, B Virgini & S. Angelo C. vel quinos sanctis Christi vulneribus consecra, modicum quid, palato magis arri- dens, sensualitati subtrahendo, aut vilio- raeligendo, &c. 3. Sciatue etiam cultum in lingua tua, ne sensualitatem prodas, ci- bos & condimenta nimium laudando, nec contra male preparatos murmurando, ne- mini detrahendo, carpendo, contemnendo, loquere ea que Sacerdotem decent.

Lex X. à S. Paulo data

ad Phil 4. v. 5.

Modestia vestra nota sit omnibus ho- minibus. Præcipue super mensam in- edendo, bibendoq; modestiam, decentiam, civilitatem serva; indecori nihil admitte, oculos, manus, linguam, sensus omnes cu- stodi, ut nemini offendiculo, omnibus edi- ficationi existas: quemadmodum enim no- biles bene educati è moribus & liberali agendi modo à rusticis facile discernun- tur, ita & Sacerdotes à Laicis modestia,

V 5

&

Et morum gravitate distingui oportet. Et quomodo Angelus qui spiam aut Sanctus è cœlo ad nos redire comederet, ita & tibi, ô Sacerdos! comedendum, qui sanctus & Angelus Domini exercituum es. Malachi.

2. v. 7.

Lex X.I. ab Apostolo eodẽm commendata Hebr. 13. v. 2.

Hospitalitatem nolite oblivisci. Hanc Christus Dominus noster Luca. 14. explicat: Cùm facis prandium aut cenam, noli vocare amicos tuos, neque fratres tuos, neque cognatos, neque vicinos divites: ne fortè te & ipsi reinventent, & fiat tibi retributio. Sed cùm facis convivium, voca pauperes, debiles, claudos & cœcos; & beatus eris, quia non habent retribuere tibi: retribuetur enim tibi in resurrectione iustorum. Nam ut S. Ambrosius docet: esse hospitem erga eos, qui remunerari possunt, est signum avaritiæ; sed erga egenos esse liberalem, est actus charitatis. Quam multi dictam legem negligunt! tu saltem aliquid è cibo meliore pauperi aut infirmo submitte. Si non pavisti, occidisti, inquit idem Sanctus Ambrosius. S. Gregorius.

rinn.

rius M. indies duodecim pauperes mensae
 adhibebat. S. Ludovicus Galliae Rex 120.
 S. Hedviggis & S. Elisabeth 900. S. Bern-
 vard. Episc. Hildesf. 100. Vide ut vell
 in uno saltem Christum pascas.

Lex XII. à Davide proposita.

Psalm. 67. V. 4.

Multi epulentur & exultent in conspectu
 Dei. Interepulandum Deum praesentem,
 te spectantem, observantem verba, gestus,
 oculos; & haustus omnes numerantem ob o-
 culos pone. & non facile excessum commit-
 tes. In facie prandeatur Authoris, monet
 S. Chrysostomus. Atq; hoc est medium effi-
 cac ad leges praedictas ad amissim servan-
 das. Hujus verò Dei praesentiae reficiabit
 memoriam sacra lectio, vel scriptura di-
 vine, vel alterius pii Authoris; ut dum
 corpus pascitur unà & mens reficiatur.
 Dum comedes, non totus comedas, docet S.
 Bernardus, sed attendas lectioni: non e-
 nim est rationi consonum famulam, id
 est corpus, delicate pasci, & Domi-
 nam (Animam) esurire. Ideoq; Sanctus
 Hugo semper aliquid super mensam legi
 V. 6 curabat;

curabat, & occurrentem præclaram sententiam bis tæve subinde repetendam iubebat, ita ut oculi sapius lacrymis dulcibus innatarent, nec ipsum tantum, verum etiam aspicientes piè afficeret. Idem S. Carolus Borromæus, aliq̄, quàm plurimi omnis conditionis cum fructu, gustuque singulari præstiterunt: si verò tibi lectionis opportunitas desit, piis saltem, brevibusq̄ considerationibus aut affectibus animum pascere, nunc ex suavitate & efficacia cibi ascendendo ad Conditorem; nunc mentem elevando ad cœnam nuptiarum Agni, nunc nonnulla ex prædictis ferculis spiritualibus degustando.

P O S T M E N S A M.

I. Memor Divinae liberalitatis gratias age, benefactoribus vivis gratiam, Defunctis requiem precare, alacriusq̄ Deo tam in te liberali servire statue.

II. Sub Martyrologio, (quod apud quosdam Religiosos super mensam legitur) Deum in Sanctis mirabilem suspice, lauda, magnifica: Sanctis verò gratulare, eorum patrocínio te commenda, imitari eos desidera, coronamque similem exopta.

III. De.

III. Demum intimâ devotione, attentione & reverentiâ, gratiarum actionem persolve; & Dei profusam beneficentiam agnoscens, fiducia filiali in sinu paternæ ejus providentiæ conquiesce.

IV. Discute breviter quâ tempore mensa te gesseris: si deliqueris, veniam pete, conatum offer, de novo propone, alacrius consueta exercitia perage, nunquam de cibus conquerere, viliissimis etiam ob peccata tua indignum te judica: nec lautior animi extolle: hæc enim Sacerdotem ad delicias cœlestes anhelantem dedecent.

HORA XII.

Oratio ad trinum Campanæ pulsam.

I. Christus factus est pro nobis obediens, usque ad mortem, mortem autem Crucis. Ave Maria. II. Propter quod & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod est super omne nomen. Ave Maria. III. Ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & infernorum. Ave Maria. Qui passus est pro nobis, misereatur nostri.

V 7

Oremus